

Et libro quinto.

Judicium porro, ut quod est in prudentia naturale, doceri non potest, elimari et excoli potest; primum lectione eorum auctorum, qui plurimum bono illo valuerunt Platonis, Aristotelis, Demosthenis, Ciceronis, Senecæ, Quintiliani, Plutarchi; ex nostris autem Origenis, Chrysostomi, Hieronymi, Lactantii, etc.

JOANNES BAPTISTA PIUS, Annotat. c. 98, XVI SÆCULO:

Lactantius Firmianus maximus religionis veræ propugnator.

GREGORIUS GIRALDUS VERONEN., Dialogo quinto de Hist. poetarum, XVI SÆCULO:

Eodem quo Juvenens tempore fuit et Lactantius Firmianus, unus eloquentiæ Ciceronianæ inter christianos præcipuus æmulator, qui præter ea, quæ multa soluta oratione scripsit, et quæ passim in manibus habentur, versus quoque composuit, etc.

FRANCISCUS FLORIDUS, Subsecivarum Lect. lib. II, cap. 4, XVI SÆCULO:

Lactantius Firmianus, Arnobii auditor, Latinorum omnium, qui theologica tractarunt, citra controversiam eloquentissimus, nostræque religionis assertor acerrimus, celeberrimi, dum viveret, nominis propter singularem excellentiam a christianæ pietatis cultoribus habitus est, editisque non paucis elegantissimis, magna que eruditione repletis lucubrationibus, quarum bona pars doctorum manibus teritur, pars vero commune cum cæteris Romanorum scriptis naufragium passa est, sic in omnium ore versatur, quasi qui unice cuncta philosophorum dogmata christianis ex diametro adversantia optinis rationibus pervertens, et gravissimis sententiis, et

A styli candore unice sit commendandus. Quamobrem fuerint licet, qui alias theologiæ partes facilius, quam ille, atque etiam argutius excolerint, in iis tamen, quæ ad confutanda Gentium (sic enim vocabantur quicumque ante Christi adventum legem a Moyse traditam non amplecterentur) placita spectant, nemo ad hanc diem extitit (quantum quidem ipse judicare valeo) qui cum Lactantio longo intervallo sit conferendus; vel quia rerum verborumque pondere, ac efficaci quadam naturæ vi susceptum contra munitissimas ethnicorum sententias munus egregie obit, vel quia paucis verbis plurima complectitur, semper (quod de Thucydide perhibet M. Tullius) sibi instans, nullasque sordes, ut alii complures faciunt, secum trahens. Quod nisi tam eximius auctor plurima scripsisset, in quibus vix credas virum tam curiose in sacris profanisque litteris versatum labi potuisse, eum unum ex omnibus latinis Scriptoribus maxime deligendum censerem, qui pueris in manibus semper esset, ut eodem tempore illi ex unius lectione, et christianæ fidei rudimenta, et Romani sermonis puritatem discerent, etc.

B GULIELMUS CANTERUS, Novar. Lect. lib. III, cap. 50, XVI SÆCULO:

Quem inter Græcos theologos locum Nazianzenus Gregorius obtinet, eum inter Latinos fere Firmianum Lactantium tenere non immerito quis iudicet.

Non ex re putavimus ultra progredi: sat est monuisse, neminem inter nostrorum temporum scriptores esse, qui Lactantii nostri cum laude non meminerit. Quamvis eum non inculpatum omnino habeant eruditi, ejus tamen multiplicem doctrinam, variam in re profana eruditionem, summam tandem ejus eloquentiam prædicant omnes.

## SYNTHESIS

# DOCTRINÆ LACTANTII.



Quoniam plus operæ in falsis refutandis quam in veris confirmandis posuit Lactantius, ideo pauca fidei nostræ capita plene ab eo sunt exposita: pleraque tantum attigit; plurima non intellexit. Ex iis quæ plenius aliquando ab eo sunt declarata, est doctrina: de religione christiana, de Deo in genere, de Providentia, de vero Dei Cultu interiore.

Religionis christianæ partes, adjuncta et effecta præclare persecutus est. Partes duas esse statuit religionis: agnitionem Dei et cultum (*Lib. III, cap. 29; lib. IV, cap. 4, etc.*). Adjuncta religionis Scriptura sacra comprehensæ hæc explicat: veritatem, perspicuitatem, antiquitatem, simplicitatem. Veram esse religionem christianam ex eo probat, quod prophetarum vaticinia fuerint impleta, quod prophetæ fallere non potuerint (*Lib. I, cap. 4*). Quod apostoli non tantum pro fide mortem subierint, sed etiam morituros esse se et scierint, et prædixerint (*Lib. V, cap. 3*). Quod Christiani non errent in vitæ suæ actibus omnibus, unde probabile sit eos nec in ipsa summa, hoc est, in religione, errare (*Lib. V, cap. 9*). Quod Christianorum numerus in ipsa persecutione augeatur: quod iidem dilacerentur variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam teneant patientiam, unde et vulgus colligat, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo tantos cruciatus posse perferre (*Lib. V, cap. 13 et 22*).

Perspicuitatem religionis scriptæ assertit (*Lib. VI,*

C c. 21). Num igitur, inquit, Deus et mentis et vocis et linguæ artifex diserte loqui non potest? Immo vero summa providentia carere fæcio voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent quæ ipse omnibus loquebatur.

Antiquitatem Scripturæ sive religionis nostræ elicit ex prophetarum ætatibus (*Lib. IV, c. 5*), ubi antiquiores, inquit, etiam Græcis scriptoribus prophetæ reperiuntur. Errorem igitur suum sentiant, qui sacram Scripturam coarguere nituntur tamquam novam et recens fictam, ignorantes ex quo fonte sanctæ religionis origo manaverit.

Simplicitate Scripturæ docet multos offendi (*Lib. V, cap. 1*), sed injuria. Nec enim decebat aliter, quam nude et breviter eam tradi, ut cum Deus ad hominem loqueretur, non argumentis assereret suas voces, tanquam fides ei non haberetur; sed loqueretur quasi rerum omnium maximus iudex: ejus est non argumentari, sed pronuntiare verum (*Lib. III, cap. 1*).

Effecta religionis christianæ, quæ quantaque sint, pulchre explicat (*Lib. III, cap. 25*). Da mihi, inquit, virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenius manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis: jam cruce, et igne, et taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appeten-



tem : jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem : continuo et æquus, et prudens, et innocens erit.

Postremo de intelligentia religionis christianæ præclara ejus vox est : Homo per se ipsum pervenire ad hanc scientiam non potest, nisi doceatur a Deo (*Lib. II, cap. 3*).

De Deo satis pure docuit, nempe quid sit, qualis sit, et quod unus sit. Deus illi est æterna mens ex omni parte perfectæ consummatæque virtutis (*Lib. I, cap. 4*). Illeque æternus et humanis sensibus incomprehensibilis; sic enim scribit, lib. II, cap. 9 : « Solus Deus est, qui factus non est; et idcirco destruere alia potest, ipse destrui non potest : permanebit semper in eo quod fuit, quia non est aliunde generatus, nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua re pendet, quæ illum mutata dissolvat. Ex se ipso est; et ideo talis est, qualem se esse voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, æternus. » Et lib. II, cap. 5 : « Dei principium, quoniam non potest comprehendi, ne queri quidem debet. Satis est homini ad plenam perfectamque prudentiam, si Deum esse intelligat, ejus intelligentiæ vis et summa hæc est, ut suscipiat et honorificet communem parentem generis humani, et rerum mirabilium fabricatorem. » Porro esse Deum unum, erudite probat lib. I, a cap. 3 usque ad 8 : argumenta videantur in *Analysi*.

Hujus Dei filium Christum hinc inde profitemur, quem et Deum, et hominem esse, lib. IV, cap. 13, confirmat. Hujus consilio et opere usum in fabricatione mundi Deum, lib. IV, cap. 6; hunc λόγος rectius dici a Græcis, quam Verbum a Latinis, lib. IV, cap. 9; hunc cum voce ac sono ex Dei ore processisse, ejusdem lib. cap. 8, scribit auctor. Epitheta Christo hæc tribuit : nominat eum *legatum*, et *nuntium*, et *sacerdotem summi Patris*, lib. IV, cap. 25 et 29; *opificem rerum*, *vocem et sapientiam Dei*, *sanctum et incorruptibilem spiritum*, lib. IV, cap. 6 et 9; *primum et maximum filium*, quo *consiliatore et artifice* Pater usus sit in rerum creatione, lib. II, cap. 9.

Conciliat etiam apparentem contradictionem in religione nostra, qua unum quidem Deum profitemur, et tamen non Patrem solum, sed et Filium Deum dicimus. « Cum dicimus, inquit, lib. IV, cap. 29, Deum Patrem et Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni; siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem, una utriusque mens, unus spiritus, una substantia est : sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus; ille tanquam sol, hic quasi radius a sole porrectus, qui quoniam summo Patri et fidelis, et charus est, non separatur, sicut nec rivus a fonte, nec radius a sole : quia et aqua fontis in rivo est, et solis lumen in radio. » Et paulo post exemplo hoc illustrat : « Cum quis habet filium, quem unice diligit, qui tamen sit in domo et manu patris, licet ei nomen domini, potestatemque concedat, civili tamen jure et domus una, et unus dominus nominatur. Ita hic mundus una Dei domus est, et Filius ac Pater, qui unanimes incolunt mundum, Deus unus, quia et unus est tanquam duo, et duo tanquam unus. Neque id mirum, cum et Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium, et Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter pareat. » Et sub finem capituli : « Unus est solus, liber, Deus summus, carens origine, quia ipse est origo rerum, et in eo simul et Filius et omnia continentur. Quapropter cum mens et voluntas alterius in altero sit, vel potius una in utroque, merito unus Deus uterque appellatur; quia quidquid est in Patre, ad Filium transtulit, et quidquid est in Filio, a Patre descendit. »

De Providentiæ divinæ solertia sparsim dicit per totum opus Institutionum Divinarum; nec alia de causa librum de Opificio Dei scripsit, quam ut lucentem in corpore humano providentiam Dei ob oculos

hominum poneret, et Epicureorum providentiam agantium sophismatis occurreret.

De vero Dei cultu interiore illustres hic auctor sententias scriptis suis inseruit. Ac primum : « Non potest, inquit, ille summus ac singularis Deus nisi per Filium coli : qui solum Patrem se colere putat, sicut Filium non colit, ita ne Patrem quidem » (*Lib. IV, cap. 20*). Deinde verum cultum Dei esse scribit, in quo mens colentis se ipsam Deo immaculatam victimam sistat (*Lib. VI, cap. 2*). Et lib. IV, cap. 28 : Certum est « nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi ut abjectis vanitatibus et errore miserabili, Deum cognoscat et Deo serviat; nisi huic temporali renuntiet vitæ, ac se rudimentis justitiæ ad cultum veræ religionis instituat. Hac enim conditione gignitur, ut generali nos Deo justa et debita obsequia ei præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit. » Et lib. VI, cap. ultimo : « Deo utrumque incorporale offerendum est, quo utitur : donum est integritas animi, sacrificium laus et hymnus. » Item cap. 1 ejusdem libri : « Nihil sancta et singularis illa majestas aliud ab homine interius desiderat (1), quam solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis pie, satis religiose litavit. » Atque hi sunt quatuor loci theologiæ satis copiose a Lactantio tractati, quibus non incommode addi potest locus de creatione.

Creationis enim causas omnes hinc inde explicat : Efficientem, lib. II, cap. 5 et 9, ubi : « Deus, inquit, fecit ex eo, quod non est, quia per æternitatem fortis est, etc. »

Materialem, quod ex nihilo omnia condiderit, lib. I, cap. 3 : Virtute atque consilio Dei ex nihilo est conflata immensitas divini operis (*vide et l. II, c. 9*).

Finalem, quod omnia propter hominem sint condita lib. VII, cap. 4, 5, 6, (*item libro de Ira Dei, cap. 43*); formalem, quo ordine nimirum Deus singula creaverit, lib. II, cap. 9. De interitu quoque mundi hæc ejus verba leguntur, lib. VII, cap. 4 : « Plato, quia cœleste mysterium ignorabat, ideo in perpetuum dixit esse fabricatum mundum, quod longe secus est. Quoniam quidquid est solido ac gravi corpore, ut initium cepit aliquando, ita finem capiat, necesse est. » Finem specialem hominis conditi ubique affirmat hunc esse, ut Deum colat l. VII, c. 5; l. VI, c. 1, etc.

Loci, quos leviter attingit, vere tamen exponit, sunt hi : de Ecclesia, de Objecto adorationis, de Penitentia, de Matrimonio, de Lege, de Lapsu hominum, de Peccato, de novissimo Judicio et signis quibusdam mundi finem præcessuris.

De Ecclesia docet quid sit, et quæ sint ejus notæ : « Ecclesia est verum templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum ac vocantur fideles » (*Lib. IV, cap. 13*). Item : « Ecclesia est æternum templum constitutum Deo a Christo universas gentes ad religionem Dei veram convocante. Hæc est domus fidelis, hoc immortale templum, in quo si quis non sacrificaverit, immortalitatis præmium non habebit » (*Lib. IV, c. 14*). Fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt apostoli per provincias dispersi » (*Lib. VI, cap. 21*). Notas Ecclesiæ ejusdem libri cap. 30 perstringit : « Sola catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum christianos, et suam esse catholicam Ecclesiam putant : sed sciendum est, illam esse veram, in qua est confessio et penitentia, quæ peccata et vulnera salubriter curat. »

De objecto adorationis disserit lib. II, cap. 18 : « Nihil aliud adoremus, nihil colamus, nisi solum artificis parentisque nostri unicum nomen, qui propterea hominem erectum creavit, ut sciamus nos ad superna et cœlestia provocari. » Et lib. V, cap. 18 : « Nesciunt, » inquit (loquitur de gentibus), « quantum

(1) Hæc tamen sunt benignè explicanda.



sit nefas adorare aliud præterquam Deum, qui condidit cælum atque terram, qui humanum genus fluxit, inspiravit, luce donavit. »

Pœnitentia homines ad Deum reduci docet lib. vi, cap. 24, his verbis : « Nec deficiat aliquis, ac de se ipso desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad injustitiæ viam lapsus est. Potest enim reduci ac liberari, si eum pœniteat actorum, et ad meliora conversus, satisfaciat Deo; » nam Deus non thure (scribit idem libro de Ira Dei, cap. 24), non hostia humana, non pretiosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur. Et qui peccare desinit, iram Dei facit mortalem. Idcirco enim non ad præsens noxium quemque punit, ut habeat homo redispicendi et corrigendi sui facultatem. Est autem Lactantio pœnitentiam agere nihil aliud, quam profiteri et affirmare se ulterius non peccaturum (Lib. vi, cap. 13). Quem enim facti sui vere pœnitet, errorem suum pristinum intelligit; ideoque Græci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos possimus *resipiscientiam* dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem 1<sup>o</sup> errati piget, deinde castigat seipsum dementiæ, et confirmat animum suum ad rectius vivendum » (Lib. vi, cap. 2). Liqueb etiam ex lib. v, cap. 13, eos, qui in persecutionibus veritatem abnegarunt, tum temporis fuisse receptos in Ecclesiam, modo pœnitentiam agerent : « Licet, inquit, Deo satisfacere; et nullus tam malus Dei cultor est, qui data facultate ad placandum Deum non revertatur, et quidem sæpe devotione majori. Peccati enim conscientia et metus pœnæ religiosiorem facit. »

Matrimonium iis necessarium esse docet, qui affectus frænare non possunt : « Cobibeat eos intra præscriptum legitimi thori, ut et illud, quod avide experit, assequatur, et tamen in peccatum non incidat, » inquit lib. vi, cap. 25. Et paulo post : « Oportet sibi quemque proponere, duorum sexuum conjunctionem generandi causa datam esse viventibus; eamque legem his affectibus positam, ut successionem parent. » Plura ibidem de castitatis officiis reperies.

Legis capita primaria duo esse docet, quorum unum præcipiat, quid Deo, alterum, quid homini debeatur (Lib. vi, cap. 9 et 10).

Lapsus primorum parentum eleganter describit ex Mose (Lib. ii, cap. 2) : « Criminator ille, inquit, invidens operibus Dei, omnes fallacias et calliditates suas ad decipiendum hominem intendit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, ut vetitum cibum sumeret; et per eam ipsi quoque homini persuasit, ut transcenderet Dei legem, etc. »

De Peccato testatur hominem sua culpa injustum esse (lib. iv, cap. 24), et peccatum omnibus hominibus naturaliter inesse (Lib. vi, cap. 13).

De novissimo iudicio et signis illud præcessuris copiose disserit, lib. vii, et plurima signa nominat cap. 15. Verum ea omnia non satis ad catholicorum mentem expressa sunt.

#### NÆVI LACTANTII, ET ERRORES.

Diximus quæ fideli capita plene exposuerit, quæ item leviter, vere tamen attigerit : consequens est ut de iis quoque studiosum lectorem moneamus, quæ non satis intellexisse videtur Lactantius, adeoque nævos et errores ejus aperiamus. Sunt autem nævi ejus triplicis generis : quidam enim theologici, alii chronologici, nonnulli philosophici.

##### *Nævi theologici sunt :*

Quod periculosa loquendi formula Deum Patrem ex se ipso dicit esse procreatum (Lib. i, cap. 7).

Quod Filii Dei æternitatem sat diserte non asseruerit. Nam lib. iv, cap. 6, scribit, « Deum antequam præclarum opus mundi adoriretur, Spiritum genuisse, quem Filium nuncuparunt. » Quæ eadem lib. ii, c. 8, reperiuntur.

Quod contra fidem historiæ sacræ scribit, Christum

numquam se ipsum Deum dixisse; quia non servasset fidem, si missus, ut deos tolleret et unum assereret, induceret alium præter unum (Lib. iv, cap. 14).

Quod negat a Pilato sententiam in mortem Christi prolatam esse (Lib. iv, cap. 18).

Quod Christum in Galiliæam ait profectum, noluisse Judæis sese ostendere, ne eos ad pœnitentiam adduceret (Lib. iv, cap. 20).

Quod Spiritum sanctum ne quidem nominet : immo quod in epistolis ad Demetrianum, auctore sancti Hieronymo, Spiritus S. substantiam negavit, et errore Judaico dixit, cum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, et sanctificationem utriusque Personæ sub ejus nomine demonstrari.

Quod de præcipuo Christi incarnati officio, sacerdotali nimirum, tacuit, et ideo tantum Christum humanam naturam assumpsisse contendit, ut quemadmodum Pater, ita et ipse Filius esset ἀπαύτως atque ἀμότυπος (Lib. iv, cap. 13), utque religionem sanctam Dei transferret ad gentes (Lib. iv, cap. 11); ut universis gentibus, quæ sub cælo sunt, singularis et veri Dei sanctum mysterium revelaret, et unum illis Deum nuntiaret (Lib. iv, cap. 12); denique ut exempla virtutis homini præbere posset (Lib. iv, cap. 25). Quæ omnia quam frigida sint, omisso principe incarnationis Christi sine, nemo non videt.

Quod angelos tum demum homini custodes adhibitos fuisse ait, cum humanum genus in majorem numerum crescere cœpit (Lib. ii, cap. 15).

Quod terræ potestatem ab initio diabolo tributam a Deo, duoque dæmonum genera facta esse asserit, alterum terrenum, alterum cœleste (Ibidem).

Quod bonos angelos hominum tutelæ adjunctos dominatorem cœli fallacissimum ad vitia pellexisse, et mulierum congressibus inquinasse, suosque fecisse satellites, ac ministros existimat (Lib. ii, cap. 15).

Quod nove dixit, diem, quem primus Oriens subministrat, Dei esse : noctem autem, quam Occidens extremus inducit, qui Deum æmulatur, scilicet diaboli (Lib. ii, cap. 9).

Quod hominem ex diversis et repugnantibus rebus a Deo factum putat. Sic enim scribit, lib. ii, cap. 12 : « Ex rebus diversis ac repugnantibus homo factus est; sicut ipse mundus ex luce ac tenebris, ex vita et morte : quæ duo inter se pugnare in homine præcepit, ut si anima superaverit, quæ ex Deo oritur, sit immortalis, et in perpetua luce versetur; si autem corpus vicerit animam, ditionique subjecerit, sit in tenebris sempiternis et in morte. »

Quod hominem mortalem atque imperfectum e terra fictum affirmat (Lib. vii, cap. 5 et 14).

Quod eundem immortalitatem propriis viribus adipisci statuit (Ibidem).

Quod fingit Deum infinitam multitudinem animarum creasse, quas primo fragilibus et imbecillibus corporibus illigatas constitueret inter bonum malumque medias, ut constantibus ex utrisque naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicate assequerentur, etc. (Lib. vii, cap. 5. Vide tamen not. ad cap. 18, lib. iii).

Quod cum, lib. v et vi, de justitia christianorum orationem ex professo instituerit, tamen de philosophica tantum seu legis justitia disputat, et justitiæ fidei, quæ Evangelii propria est, ne verbulo quidem meminit.

Quod spiritum, sive animam hominis justitiæ operibus emereri, ut fiat æternus spiritus (Lib. iv, cap. 25); quod item largitione perpetua peccata carnis aboleri (Lib. vi, cap. 13), asserit.

Quod iis tantum ignosci scribit, qui ad peccatum imprudenter incauteque labuntur : veniam non habere, qui sciens peccat (Ibidem).

Quod de perfectione hominis renati contradictoriâ sententias tuetur, et quidem in uno eodemque libro, nimirum sexto : fatetur, quod nemo esse sine delicto possit, quamdiu indumento carnis oneratus est, cap. 15. Et tamen cap. ultimo verum Dei cultorem



nihil vult aliud precari, nisi peccatis suis veniam, A licet nulla sint.

Quod ideo Deum permittit malum grassari sentit, ut virtutis ratio constet (*Lib. v, cap. 7*). Hoc sine scribit permittit Deum errores (*Lib. II, cap. 17*); hoc sine diabolum a Deo excitatum ait, libro de Opificio Dei, c. 20. Hoc sine tantam vim natricum viperarumque factam a Deo putat (*Lib. VII, c. 4, et libro de Ira Dei, c. 13*).

Quod quoties oramus, credere non vult, tentari nos a Deo, an simus digni exaudiri (*Lib. VI, c. 13*).

Quod militiam homini justo non licitam esse putat, nec accusare quemquam crimine capitali (*Lib. VI, c. 20*).

Quod animas scribit post mortem in una communi custodia detineri, donec tempus adveniat, quo maximus Iudex meritorum faciat examen (*Lib. VII, c. 21*).

Quod de fine sæculi, novissimo iudicio et imperio mille annorum, periculosas opiniones, lib. VII, c. 14, 15, 16, 17, etc., inseruit. Ex illis enim liquet, Lactantium contra Scripturam duas asseruisse resurrectiones, alteram ad aureum sæculum millenarii, alteram ad destructionem diaboli et impiorum; duo item iudicia universalia. Liqueat statuisse eum tantum pios, non autem et impios iudicatum iri.

Quod denique mire negatur non solum de Antichristo, verum de adventu etiam Helix in terram, conversuro multos ad Dei cultum (*Lib. VII, c. 17*).

Fuere qui Manichæismi quoque Lactantium accusare non dubitaverunt. Sed quia nec Hieronymus, nec quisquam alius veterum hunc in Lactantio erro-

rem animadvertit, quia item vetusti codices non habent ea, quæ in recentioribus editionibus pro Manichæis facere videbantur, apparet inde, hujus quoque auctoris libros a Manichæo quodam fuisse interpolatos.

#### Nævi chronologici.

Quod Mosen nongentis fere annis Trojanum excidium antecessisse scribit, cum Eusebius tantum trecentos quinquaginta numeret. Sed hæc controversia adhuc est sub iudice. Multi enim ejusdem sunt opinionis ac Lactantius.

Quod imperium regum Israelitarum annis quadringentis sexaginta desinit, doctioribus chronologis annos quingentos et quindecim numerantibus (*Lib. IV, c. 5*).

#### Nævi philosophici sunt :

Quod antipodes esse negat (*Lib. III, c. 22*).

Quod inter alias summi boni condiciones et hanc ponit, ut solius sit animi, nec communicari possit cum corpore (*Lib. III, c. 9*). At, inquam ego, si summum bonum hominis quaeritur, homo autem non ex sola anima, sed ex anima et corpore simul consistat, utique non solius animi, sed animi et corporis simul summum bonum erit : quemadmodum immortalitas, quam Lactantius summum bonum nominat, ad corpus pariter et animam referetur.

Quod reprehendit viri boni definitionem Ciceronianam, qua nemini nocere vir bonus dicitur, nisi injuria laces-itus (*Lib. VI, c. 18*), cum Cicero non de privata, sed publica vindicta loquatur.

## ANNOTATIONES CENSORIÆ

### IN QUÆDAM LACTANTII ERRATA, EX CODICE MANUSCRIPTO BIBLIOTHECÆ REGIÆ

NUMERO MDCLXXIII, INTER THEOLOGOS, IN-FOLIO.

LUCII CŒLII LACTANTII FIRMIANI DIVINARUM INSTITUTIONUM ADVERSUS GENTES, AD CONSTANTINUM IMPERATOREM, LIBER PRIMUS.

**E REGIONE HUIUS PAGINÆ PRIMÆ HÆC LEGUNTUR :** *Correctum volumen hoc juxta censuram admodum Rev. Patris Jo. Maria Brasichel, sacri Palatii apost. magistri, anno 1607, a summo pontifice, Paulo V constituti, ordinis Fratrum Prædicatorum generalis electi, anno 1608, atque in amplissimo cardinalitæ dignitatis gradu anno 1611 colati.*

**PORRO AD MARGINEM HÆC INFRA LEGUNTUR :**

De Lactantio Firmiano plura S. Hieronymus in Catalogo et epistola 83, ad Magnum, quem mirifice ab eloquentia laudat. Cæterum ne contingat quempiam in Lactantii operum lectionem impingere, præmonendus lector, quam ipsi circumspecte et suspensio pede in pervolvendis ejusdem auctoris scriptis sit. Eundem S. Damasus romanus pontifex epistola ad S. Hieronymum, quæ est 124 inter Hieronymi epistolas, hæc ait : « Fætor quippe tibi eos, quos jampridem Lactantii dederas libros, ideo non libenter lego, quia et plurimæ epistolæ in eis usque ad millia spatia versuum tenduntur, et raro de nostro dogmate disputant. Quo fit, ut et legenti fastidium generet longitudo; et si quæ breviter sunt, scholasticis magis sint apta, quam nobis, de metris, et regionum situ, et philosophis disputantia. »

Hæc S. Damasus : sed et S. Hieronymus, epist. 43, ad Paulinum inquit : « Lactantius quasi quidam flavius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit! » Et I. II, in Epistolam ad Galatas cap. IV, ait : « Multi per imperitiam Scripturarum (quod et Firmianus in octavo ad Demetrianum epistolarum libro facit) asserunt Spiritum sanctum, sæpe Patrem, sæpe Filium nominari. » Rursum Apologia ad Pammachium et Oceanum inquit : « Lactantius in libris suis, et maxime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino negat substantiam et errore judaico dicit, eum ad Patrem referri, vel ad Filium; et ad sanctificationem utriusque Personæ sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam ejus Institutionum libros, quibus contra gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est? » Hætenus S. Hieronymus.

S. Gelasius in concilio romano sic pronuntiat : Opuscula Lactantii apocrypha. Ita sane S. Pontifex, gravi maturoque iudicio censuit. Nam in his Lactantii operibus multiplices errores et sententiæ a puritate orthodoxæ doctrinæ discrepantes. Earum indicem magister Antonius Raudensis ad finemque librorum Lactantii attexuit. Verum et Francisco Philadelpho lib. IV Epistolarum, et multis eruditissimis (est) censuras Raudensis in quibusdam nimiam atroces,